

ZIVM, DRAVDII loco, & allegare & collectionem ejus ostendere queant.

At vero DRAVDIVS de se ipse talia refert? Itane auctori de suis operibus loquenti non amplius credendum fuerit? Salva res est, & bene monuit VFFENBACHIVS, locum heic habere observationem MORHOFII, Bibliothecam classicam DRAVDII ex catalogis bibliopolarum nundinalibus maximam partem compilatam esse, testantis, & multos ideo libros complecti, nusquam in lucem editos. Hic mos fuit DRAVDIO, libros, promissos tantum, in revera editorum numerum referre; quare facile fieri potuit, ut Bibliothecae suae, eo ipso anno 1625. typis impressae, suum de typographia discursum, quem proxime edendum esse significare debuerat, promiscue libris jam tum editis insereret. Sed nunc demum fas erat prodire symbolorum typographicorum thesaurum, ut aetas nostra, hac etiam in parte, studia curasque Majorum superaret.

Quid de PEREGRINO ANTONIO ORLANDO dicam, celebribus Italis hodie annumerando? Num hic forte primae insignium typographicorum collectionis gloriam ROTH-SCHOLTZIO praeripuisse censendus fuerit? Suam is industriam in describendo *ortu & progressu artis impressoriae* non male collocavit, quod illius opus Bononiae ante hos octo annos publice vendi coepit. Reperias ibi C, aut si mavis, XCIII symbola primorum typographorum, aeri incisa, & quinque inscripta tabulis. Excipit deinde has imagines index aliorum ejusmodi signorum, alphabetico ordine dispositus, ita, ut, posita signi descriptione brevissima, nomina typographorum subjiciantur, eodem variis temporibus locisque usorum.

rum.